

EMBLEMA XXXIV.

PROPRIA VIRTUS IN REGIBUS COMMENDATOR.



Dat clypeum Pallas : curvat mibi Delius arcum
Ensis Mercurii , munit honore latus.

Clava tamen mibi sola decus: Gentilia dona
Abnuo , nam est major gloria parta manu.

Nec sic Principibus plausus blanditur avitus ,
Atque suo plaudit robore natus honor.

COMMENTARIUS.

Dicitur Oribus , ac virtutibus , quas in Regibus requiri retulimus , non parum splendoris adicient fumosæ , famosæque Majorum suorum imagines , retroque ab Heroicis Principibus per longi temporum curricula derivata propago. Semper quippe apud omnes gentes , Turcica (a) excepta , Nobilitas in omnibus , sed præcipue in Regibus commendari solet , eoque major , quo antiquior , (ut latè Tiraquellus (b) , & alii (c) tradunt) existimari. Sive quod Parentum virtutes egregiaque facinora præclaros quosdam , & generosos impetus ad emulandam eorum laudem posteris ingenerant: sive quod Augusta illa priscaque nobilitas , insito naturæ præjudicio , auctoritatem existimationis Principibus apud populos conciliat , ac parit.

2 Quia fortis fortibus solent creari juxta vulgatum illud Horatii (d) , & secundum Cassiodorum (e) origo nescit deficere , quæ consuevit radicitus pullulare ; ferturque cursu perenni

(a) De hoc Turcarum more latè Bellon Cenomanens. lib. 2. ob. cap. 95. Camerar. 3. tom. pag. 157.

(b) Tiraq. de nobil. cap. 19. per 101.

(c) Alciat. & Minoes Emb. 136. Turturet. de nobil.

cap. 9.

(d) Orat. od. 4. lib. 4.

(e) Cassiod. lib. 2. epist. 15.

fontium vena vital , & hanc consuetudinem sustinent cuncta manantia , ut sapor , qui concessus est origini , ni per accidentia fuerit forte vitius , nesciat rivalis abnegari. Quod iterum (f) his verbis reperiit: Laudabilis vena servat originem , & fideliter posteris tradit , que in se gloriosa transmissio promeruit. Et rursus (g): Rerum cause semper in semine sunt , fructus editus prodit auctores & quicquid à divinitate meremur , de facili prole colligitur.

3 Cui consonas D. Hieronymus (h) , de Nebridii filiis sermonem habens: Scintilla (inquit) paterni vigos luet in filiis , & similitudo morum per scutum carnis erumpens , ingentes animos angusto incorpore versat. Et his antiquior Aristoteles (i) , ex communis placito docet , sicut ex hominibus hominem , ex bestia bestiam , sic ex bonis bonum generari , parque esse , ut meliores ii , qu ex melioribus , judicentur.

4 Unde in Proverbii Salomon (k) dixit Gloria filiorum patres eorum. Et Ecclesiastes (l): Beata terra cuius Rex nobilis est. Quem locum , & si plures ad Regem propriis factis , & virtutibus nobilem , aferant. Alii tamen , ut Glossa Interlinearis , Vivianus (m) , & Montanus à Pineda (n) nostro bideam relati , non aliam videntur eo loco nobilitatem agnoscere , quam ex præclaro genere , neque Regia ut sit omni ex parte felix provincia , Princeps

In qua , deducta numerans à stirpe vetustos
Jactat avos , mores cui casti , & candida corda.

5 Quod & fecit , ut antiqua Rhetorum disciplina sit , ab avis & atavis , & omni retrò nobilitate ornare dem laudant , ut ramorum sterilitatem radix fecunda compenset , & quod in fructu non tenes , mireris in trunco. Quam sequens Statius (o) Papinius , laudes Crispini sic exorditur:

Non te series in honora parentum
Obscurum proavos , & prisca lucis egentem ,
Plebeja de stirpe tulit. Sed præcedente tuorum
Agnine.

Et Claudianus (p) Serenam efferens , ait:

Quod si nobilitas cinctis exordia pendit
Laudibus , atque omnes redeunt in semina causa ,
Quis venerabilior sanguis , que major origo
Quam Regalis erit? Non te privata dedere
Limina , nec tantum poterat contingere nomen
Augustis laribus. Patruo te Principe celsam
Belli potens illustrat avus , &c.

Et iterum (q) de Honorio agens:

Haud indigna coli , nec nuper cognita Marti
Ulpia progenies. Et que diadema mundo
Sparsit Ibera donus: nec tantam vitor aula
Promeruit seriem gentis. Cunabula fricit
Oceanus. Terræ dominos , pelagiique futuros ,
Innomo decuit rerum de Principe nasci.

6 In hocque respiciens Rex noster Alfonso X. inter alia , pro quibus se Deo gratias age-re debere , commorat (r) , hoc cum primùm recenset: E otrosi , la muy grande merced que nos Dios fizó , enquerer que viniesen del linage onde venimos , é el lugar en que nos puso , faciendo nos Señor de tan buenas gentes , &c. Quo loci Glossa (s) subnotat , donum maximum Dei esse , nasci ex nobilissima progenie , & ad id probandum aliqua iura (t) perpendit , & Nos , licet plura possens , ea , ut in re non minus certa , quam trita , cumulare supersedemus.

7 Ad Nostrum emblematis propositum accedentes , quod e tendit , ut Principes , qui se hoc nomine dignos redere gestiunt , commoneamus , justissimum quidem esse , nobilitatis Gentiliæ donum plurim facere ; ceterum cum hoc ipsorum proprium non sit , sed , ut Diogenes (u) dixit , à Fortuna concessum , longè pluris virtutes proprias estimare debere , rebusque per se ipsos præclaræ gressi enti , ut non solum se majoribus , in quibus gloriantur , dignos efficiant;

sed

(f) Idem lib. 3. eis. 12.

(g) Idem lib. 9. ept. 23.

(h) D. Hieron. ept.

(i) Arist. 1. Politicap. 4.

(k) Proverb. 17.

(l) Eccles. 10. 17.

(m) Pined. in Eccl. pag. 1028.

(n) Vivian. ibidem

(o) Statius 5. Sylvae.

(p) Claudian. de lad. Serene.

(q) Idem in 4. Cons. Honori.

(r) Alfon. Rex in Proem. Partit.

(s) Greg. Lop. dict. Proem. verb. Del linage.

(t) L. 1. & I. Senator , C. de dig. lib. 12. I. Senatoris

filium D. de Senat. cum aliis.

(u) Diogen. ap. Laert.

sed si fieri potest, valde præstantes, ita ut lucem istam Nobilitatis, inde usque à primo familiæ capite diffusam, & ex uno in alterum perpetua quadam seriè deinceps derivatam, semperque nitentem, quasi per manus posteris traditam, ipsi splendidiorem suis successoribus derelinquant. Herculem, quem hic pingimus imitantes, ut *Apollodorus* (x), & alii literis produnt, tametsi ob egregias ejus virtutes, corporisque, & animi dotes, ab Apolline arcu, & sagitis, à Mernurio gladio, sive acynace, & à Minerva scuto donatus fuisse, hæc quidem munera magni pendit, ceterum Clavam, quam ipse propriis manibus efformavit, semper potiore, pretiosioremque habuit, ac duxit. Eaque ad labores omnes, quos subiit, aggrediendos, & superandos, usus fuit, quos mirabili verborum compendio, ultra alios, ex Ausiono (y) post Virgilium & alios (z), sic audi:

*Prima Cleonei tolerata ærionna leonis.
Proxima Lerneum ferro, & face contundit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit apnum.
Æripidis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto,
Treichiam sexto spoliavit Amazona balteo.
Septima in Augæis stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea tauru.
In Dionedeis victoria nona quadrigis.
Gerione extincto decimana dat Iberia palmam.
Undecimum mala Hesperidum distraeta triumphum,
Cerberus extremi supra est meta laboris.*

8 Unde & factum est, quod semper cum Clava ipsa, & leonis exuvia, Hercules de-pingatur, propriumque ipsius, & non alterius, ea decertare, legamus, sicut & solius Jovis, fulmina contorque, ut *Macrobius* (a) animadvertisit, & post eum *Adagiographus* (b), sic ve-tus Proverbiorum exponens, *Clavam extorques Herculi*.

9 Quam etiam Clavam, fama est, eudem Herculem, post partam è Gigantibus victoriam, Mercurio, cognomento Polygio, consecrare, eamque *Pausanias* (c), & alii (d), ex Oleastro fuisse dicunt, & repullulasse, actisque radicibus, insignem arborem factam fuisse. Quod, ut addit *Natalis* (e). *Comes*, fortè posset mirabile non videri, quippe cum dicat *Virgilius* (f) oleas, vel siccas pullulare:

*Quin & radibus seclis (mirabile dictu)
Truditur è siccō radix oleagina ligno*

Et Romuli venabulum ab eo in apnum contortum, in Palatio monte radices etiam egisse, apud *Plutarcum* (g) legamus, ex quo *Noster Saavedra* (h) aliud Emblema desumpsit.

10 Neque longè ab hoc facto Herculis abest, *Lysippi* in *Appellis* picturam reprehensio, qua *Alexandrum Magnum* Jovis radios manibus veluti jacularem, peritissimè delineavit, dixisse enim fertur multò prudentiorem fuisse, si eudem proprio gladio hastaque figurasset, cum his ille victorias, gloriae comparaverit, quibus *Magni* cognomen promeruit, & in templum famæ sibi aditum reseravit.

11 Certum quippè, æque ac vulgatum est, aliena laudare, qui genus laudat suum, propriae virtute decere, non solum sanguine niti, miserumque esse alienæ incumbere famam. Nam ut rectè monuit *Ovidius* (i):

*— Quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Aria, quid pleni numero Consule fasti
Profuerint si vita labat? Perit omnis in illo
Gentis bonus, cuius laus est in origine sola.*

Cui similis *Juvenalis* (k) latè & eleganter hoc asumptum per integrum satyram prosequens, inquit:

*Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: nobilitas sola est atque unica virtus.*

Et

(x) *Apollod. lib. 2. de natura Deor.*
(y) *Auson. epigr. 139.*
(z) *Virg. in Append. & alii apud Vinet. in ejus notis.*

(a) *Macrobi. 5. Saturn.*

(b) *Erasm. in Adag. pag. mibi 168.*

(c) *Pausan. lib. 2.*

(d) *Nat. Comes lib. 7. Mytol. cap. 1. pag. 694.*

(e) *Nat. Comes ubi proximè.*
(f) *Virgil. 2. Georg.*
(g) *Plutarc. in Romul.*
(h) *Saaved. Emp. 67. pag. 65.*
(i) *Ovid. in epist. ad Pison.*
(k) *Juven. satyr. 8. per tot.*

Et post alia:

*Malo tibi pater sit Thersites, dum modo tuis
Pelide similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersite similem producat Achilles.*

12 Horatius (l) quoque ad *Mecenatem* scribens, eidem hæret sententia, & plures alii, quos *Tiraquellus* (m) copiosè, suo more, recenset. Et inter eos Cicero, in integra illa epistola, quam contra *Sallustium* scripsit, qui eum contemptum novum hominem, & ignobilem Arpinatorem vocat. Quem tamen Ciceronem, ipse idem *Tiraquellus* (n) nobilissimum fuisse, & à Tullo Rege originem trahere, probare contendit, quod quia paradoxum videtur, hic adnotandum existimavi. In superiorum confirmationem *Euripidem* (o) addens, sic inquietum:

*Pauca quidem de nobilitate possum honestè dicere,
Vir enim bonus mihi nobilis videtur.
Sed quia non est justus, quoniam patre prestantiori natus
Quam ipse Jupiter sit, mihi ignobilis videtur.
Namque ab animo strenuos,
Justosque, quoniam orti ex servis fient,
Stirpe ante ire vulgo nobiles puto.*

Et *Plinium Juniorum* (p), qui ita habet: *Mirè cupio, ne nobiles nostri nibil in domibus suis pulchrum, nisi imagines habeant.*

13 Nam ut non minus bene docet *Apulejus* (q) *Si laudas aliquem quia generosus est, parentes ejus laudas: si verè quia dives, fortunæ hoo debet. Sed si eum laudas, quia bonis moribus, & artibus doctus est, & valde eruditus, quantum homini licet, tunc ipsum virum laudas, quia nec à patre hereditarium, nec aetate mutabile, nec à corpore caducum. Quod forte sumpsit ex *Seneca* (r), ita in eamdem sententiam inquieto: Non facit nobilem atrium plenam fumosum imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est, animus facit nobilem: cui ex quacunque conditio-ne suprà fortunam licet surgere.*

14 Et secundum *Philosratum* (s), ad *Majorum* gloriam confugere, eorum est, qui propria laudis jacturam fecerunt, quod & sensit, & elegantius expressit nobilis Poëta noster *Joannes de Mena* (t), qui jure optimo à *Francisco Tarrafa* (u) inter celeberrimos sui temporis numeratur, dum in quodam ex suis *Hispanis Rithmis*, sic inquit,

*De muy gran tiniebla ofusca
Las leyes de gentileza,
Quien no hace la nobleza,
Y en sus pasados la busca.
Y quien de sangre corusa
Se socorre, y hace falla,
Que es qual quien ubas no halla,
Y anda buscando rebusca.*

15 Et *Rex Alfonsus Aragonum I.* qui, ut narrat *Panormitanus* (x), cum illam quidam maxime à nobilitate laudaret, quod scilicet esset Rex, Regis filius, Regis nepos, Regis frater. Rex, hominem interpellans, dixit, nihil esse quod in vita minus ipse duceret, laudem enim illam non suam, sed *Majorum* suorum esse, seque magis optare à propriis ornamenti, si que haberet, quam à mortuis jam patribus collaudari.

16 *Plutarcus* (y) etiam de *Antigono II. Imperatore* commemorat, adolescenti cuidam, qui patrem habuerat fortem, quamquam ipse non admodum videbatur bonus miles; postulanti, ut pro patris meritis stipendum solveretur, respondisse: *At ego adolescens, non ob patrias, sed ob proprias cujusque viri virtutes mercedem, & munera dare soleo.*

17 Etenim, ut præclarè monuit idem *Plutarobus* (z), in id præsertim recordatio, & gloriatio nobilitatis à majoribus tracte tendere debet, ut in nobis velut ignem accendat, ad eo-

Aa

(l) *Horat. 1. terr. satir. 6.*
(m) *Tiraq. de nobil. cap. 4. per tot.*
(n) *Idem ed. cap. num. 5. Eurip. in Dyti.*
(o) *Eurip. in Dyti.*
(p) *Plin. Jun. lib. 5. epist. 17.*
(q) *Apul. de Socrat.*
(r) *Senec. epist. 44.*

(s) *Philost. de vita Sophist. in Dionis.*
(t) *Joann. de Mena in suis Rithm.*
(u) *Tarrafa de Regib. Hispan. in Joan. II.*
(x) *Panorm. de dict. & fact. Alf. lib. 2.*
(y) *Plutarc. in Appob.*
(z) *Plut. in Them.*

rum virtutes imitandas, & ut posteri, tamquam in speculo, vitam suam ad eas ornent, atque componant. Quod monitum in sacra Machabeorum historia Mathathias moriens, filiis suis his verbis commendasse narratur (a): Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen aeternum; aliisque sacrae Scripturæ locis insigniter ornat P. Joannes Antonius Velazquez (b).

18 Et Plinius (b), ad ipsum refert causam, cur Romani in suarum domorum atriis, marorum statuas ponere consuevissent, sic elegantissime inquiens: Eratque hoc stimulare summa & ingens, expobrantibus tediis quotidie imbellem Dominum intrare in alienum triumphum.

19 Quod Valerius etiam Maximus (d), de Manlio Torquato loquens, apertissime tradit, & uteque à Sallustio (e) sumerè potuit, qui ita habet: Sæpe audiri Quintum Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis præclaros viros, solitos ita dicere, cum Majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi: scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in se babere, sed memoriam rerum gestarum, eam flammarum egregiis viris in pectora crescere, neque prius sedari, quæ virtus eorum fumam atque gloriam adsequaverit.

20 Eodemque animo Ovidius (f) Augustum Cæsarem consulit, ut easdem ceras inspiciat, & numeret, inquiens:

Perlege dispositas generosa per atria ceras;
Contingent nulli nomina tanta viro.

Et Seneca (g) hæc omnia elegantissimè complexus, hæc in verba prorupit: Quidam avitas, paternasque imagines flagitis obruerunt; quidam ignobiles nati, fecere posteris gênum. In illis non servasse quod accepérant, maximum dèdecus: in his quod nemo dederat facisse, laudabile. Si possent homines sibi sortem nascendi, nemo esset humili, nemo egens, unusquisque fælicem domum invaderet. Sed quandiu non sumus, natura nos regit, & in quocumque vult casum nos mittit. Hinc sumus, estimandi, cum sumus nostri. Quis fuit Marius? &c.

21 Divus quoque Gregorius Nazianzenus (h), tunc denun duplice nobilitate aliquem condonari posse, ait, cum ingenitæ, propriam opponit, & veluti cum suis majoribus contendens, non solum eorum merita & laudes æquare, verù & longo, si potest, intervallo superare conatur. Ejus verba sic habent. Qui nobili loco natus est, prævitatem morum generis splendori opponit, atque ex adverso spæctandam product. Ita duplice nomine clarus erit, nempe & majorum imaginibus, & propria virtute, ac privatim inspectus. Et Anglus Epigrammatarius (i) hunc ingeniosum annulum pro Equitibus fecit:

Novilitas aurum, virtus tua gemma sit: usque
Versetur digitis Annulus iste tuus.

Idemque docet Causinus (k), ex dione Chrysostomo referens, apud Thebanos familiam quamdam Spartanorum fuisse, qui, hæreditario quodam jure, lanceæ speciem, corpore à natura inustam, gererent, qua qui carerent, pro spurciis & illegitimis habebatur: addensque hoc stigma eisdem ad virtutis Majorum incitamentum proficer debuisse. Erasmus (l) quoque, illos Silenos Alcibiadis, in his verificari posse inquit, qui generis claritate gloriabantur: Nam si nibil (inquit) accedat aliud, ridiculum prorsus est, & inane nomen Semideus habetur, qui sanguinis seriem ad Codrum Atbenensem, aut ad Brutum Trojanum (qui haud scio an unquam natus fuerit) aut ad fabulosum Herculem referre possit, & obscurus est, qui sibi literis & virtute famam paravit? Illustris est, cuius tritavus in vello strenuum præstitit homicidam: & plebejus est, atque imaginibus caret, qui bonis animi profuit Orbi? &c.

22 De qua etiam colluctatione Saavedra (m) noster aliud Emblema, symbolum formavit, sumpta ex duabus purpuris simul junctis similitudine, quarum certissimum judicium, ut est in Adagio (n), ex collatione nascitur, & Principem nostrum commonefaciens, quos sibi ex suis gloriois Progenitoribus imitando, vel excedendo proponere debeat. Cassiodoro (o) quippe testante: Similitudinem suorum felix vena custodit; quando pudet delinquere, quia similia nequit in suo genere reperire.

23 Et ut Rex noster Alphonsus X. rectissimè præcipit (p) de nostræ Hispanæ Nobilibus agens

(a) Machab. 1. 2. 52.

(b) Velazq. de Op. Prince. pag. 334. & seqq.

(c) Plin. lib. 31. natur. hist. cap. 2. & de his atriis ta-

te Lips. 1. elec. cap. 29.

(d) Valer. Max. lib. 5. cap. 8. exempl. 3.

(e) Sallust. in Jugurt.

(f) Ovid. 1. Fastor.

(g) Senec. 1. contrar. cap. 6.

(h) D. Nazianz. orat. 18.

(i) Ouenus lib. 1. epig. 33.

(k) Causin. in Polyst. symb. lib. 5. cap. 78.

(l) Erasm. in Adag. Sileni, pag. 654.

(m) Saavedra Emp. 16. pag. 103.

(n) Erasm. in Adag. Purpura juxta purpuram, pag. 430.

Vopisc. in Aureliano.

(o) Cassiod. lib. 3. epist.

(p) Alphons. Rex in l. 2. & 3. tit. 21. part. 2.

agens, quos Fidalgos vocamus: Porenre son mas encargados de fazer bien, è de guardarse de yerro, è de mal estanza. Ca non tan solamente quando lo facen reciben doño, è verguenza ellos mismos, mis aquelloz onde ellos vienen. Ca pues el linage face que los nomes ayan la Nobleza asi como berencia, deben mucho guardar los que han derecho en ella, que non li dañen, nin menguen, è non debe querer el Fidalgo, que el aya de ser de tan mala ventura, que lo que en los otros comenzó, è heredó, mengue, ó recabe en él. Esto es quando el menguase en lo que los otros acrecentaron.

24 Quæ quidem verba absque dubio præculis habuit Joannes de Mena (q), iterum à nobis, & semper cum elogio, citandus, ita ea oratione ligata, sive copulata, transcribens:

Pues por questa ocasion
Al buen linage conciene
Que mestre quien es, do viene,
Con obras de presuncion.
Y que reciba ambicion
De la su progenie antigua,
Esta razon lo testigua,
Pues tu no tuyas razon.
Quieres saber el provecho
Que de nobleza se siga,
Es contrato que te obliga
A ser bueno de Derecho.
Sino responde tu becho,
Ni tus vicios tu no domas,
Lo que tu por honra tomas
Se convierte en tu despecho.

25 Quod sanè ipsum, mirè consonat verbis Valerii Maximi (r), dum pariter monuit: Generosissimarum imaginum fatus, in aliquid devoluti dedecus, acceptam à majoribus lucem in teñeras convertunt. Necnon etiam cum celebri illa Marii apud Salustum oratione, qua majorum gloria posteris quasi lumen esse inquit, & neque bona eorum, neque mala in occulto esse pati. Indeque, quanto vita, Majorum præclarior, tanto posteriorum socordiam flagitiosorem esse, si ab illorum virtute degenerent; Quod argumentum, & veram Nobilitatis originem, ita latè & eleganter in tota illa oratione prosequitur, ut ejus sola lectio pro integrò hujus Emblematis commentario sufficere possit.

26 Sed adhuc in superpondium aliam Lusiteliis apud Comicum (t) subjecere libet, ubi quendam Juvenem reprehendens, quod amore captus famam sibi à Majoribus traditam, suis flagitis, perderet, atque honori posteriorum suorum vindic fieret, eadem hac, de qua agimus, consideratione, ad meliorem frugem reducere tentat, sic inquiens.

Tibi pater, atque avus facilem fecit, & planam viam
Ad querendum honorem. Tu fecisti, ut difficilis foret,
Culpa maximè & desidia, tuus & stultis moribus
Præoptavisti amorem tuum, ut virtuti præponeres
Nunc te hoc paño credis posse obtegere errata.
Capesis virtutem ariño, & corde expelle desidiam.
Is est bonos hominum pudico meminisse officium suum, &c.

Idemque ita alibi ait (f): Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo, suaptè culpa à genere capiunt genus, ingenium improbant.

27 Athalaricus etiam Rex apud Cassiodorum (b), Paulinum Consulem eodem majorum exemplo his verbis ad virtutem hortatur: Hec Nos exempla summonendo semper accedunt: quia magnus verecundia stimulus est, laus parentum: dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus Autores.

28 Et non minori elegantia Ennodius (y) Ticinensis Episcopus, de D. Antonio agens, veram ejus nobilitatem in eo constituit, quod maximam quam à majoribus acceperat, suis virtutibus superavit, sic inquiens: Qui quanvis de splendore natalium conscientia jubar hauserit; tandem fulgorem stirpis præcipue majorum radiis obumbrabit, vincens decorum sanguinis ingenii clavis.

(q) Joan. de Mena ubi sup.

(r) Valer. Max. lib. 3. cap. 8.

(s) Cassiod. lib. 9. epist. 22.

(x) Sallust. in Jugurt.

(y) Ennod. in vita S. Antonii.

(z) Plaut. in Trinum.

ritate, dum coruscantem generis sui lampadem, actum serenitate transcendit, & factus est vicitor stemmatis sui, per quod plerosque mortalium nascendo superavit, &c.

29 Ex quibus sit, quod cum sola Virtus gloriam pariat, Heroum filii Reges & Principes, ad hanc praecepit contendere debent, posteris suis laudes cumulationes reddere procurantes, quas ipsi a Majoribus acceperunt, neque ita de sola eorum fama, sanguine, fumosisve imaginibus confidentes, aut praesumentes, ut ipsorum nihil praeter colorem simile habeant, ut bene, Pisonem accusans, Cicer (z) dixit. Quod quia multi secus faciunt, & desidiae tibicines, nequitiaque velamenta inde desumunt, unde incitamenta virtutum sumere debuissent, parum animadverentes non illum qui succedit esse Principem, sed qui ita se gerit, ut non tam ex Principe, quam Principati natus videatur, frequenter contingere solet, ut in eis Horatianum (a) illud verificetur:

*Aetas parentum peior avis, tulit
Nos negiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.*

Et Adagio (b) locus fiat, *Heroum filii nosse.*

30 Idem quippe Aristoteles, ex quo supra, ex bonis bonos generari solere retulimus, statim subiungit: *At hoc natura quidem sèpè efficere vult, non tamen potest.* Et ita certum esse Aelius Spartanus (c) existimat, ut ausus fuerit affirmare, *Neminem propè magnorum virorum, utilem filium reliquisse.* Multi exemplis declarans, ita ferè usi venisse, ut viri seu virtute, seu literis, seu fortunæ indulgentiae insignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, ut magis ex usu rerum humanarum fuerit, si absque liberis decessissent.

31 Quod quasi quadam vi fatorum contingere Demosthenes dixit. Alii autem alias Physicas, naturalesque rationes, simul cum exemplis cominiscuntur, quorum copiosam nomenclaturam ad Tiraquellum (d), Chabotium (e), & novissimum & ultra atatem eruditum Divum Hieronymum Altamiranum (f) remittimus, pro Coronide eos, qui Gentilitia nobilitate tument, pariterque qui ea parent, ad Senecam (g) relegantes, qui post Platonem, omnes homines, si ad primam originem revocarentur, ex Diis esse ait, & *Nullum Regem non ex servis esse oriundum, nullum non servum ex Regibus.* Omnia ista longa varietas miscet. Erigamus itaque animos, & quidquid in medio sordidi jacet, transiliamus, expectat nos in sunmo magna nobilitas.

32 Quot illustres olim fuere familie, quarum hodie, vel memoria ipsa obscura est? Confusa nempe, (ut novissimus Antonius a Burgundia (b) prudentissime ait) in tanta vetustate sunt omnia, & perplexi successionum ribuli, quibus ad quoslibet, hac clari sanguinis unda profluit. Unde recte dixit ille qui dixit:

*Turbidus ille, hic clarus, & una est omnium origo.
Optimus est sanguis, qui sanus, cetera nuge.*

Et Divus Hieronymus ad Celantiam scribens, postquam apud Deum, & in Christiana Religionem, omnes aequales esse docuit, & solidam nobilitatem in Virtute consistere, nec interesse qua qui conditione natus sit, cum omnes in Christo aequaliter renascamur, sic subdit: *Nam etsi oblivia camur, quia ex uno omnes generati sumus. Saltem id semper meminisse debemus, quia per unum omnes regeneramur.*



EM-

(a) Cicer. in orat. in Pison.

(b) Horat. 3. carm. od. 6.

(c) Erasm. in Adag. pag. mibi 162.

(d) Spartan. in Sever.

(e) Tiraq. de pœn. temper. causa 51. num. 44.

(f) Chabotius ad Horat. lib. 4. od. 4. pag. 339.

(g) Altamir. de filiis official. lib. 1. cap. 6. num. 120.

(h) Senec. epist. 44. quem omnino lege.

(i) Burgundia in mundi lapis lido, cap. 9. pag. 32.

DELICIAE NIMIAE PERDUNT REM PUBLICAM.



*Ecce Sybaritæ, gens deliciosa, choreas
Ad numerum docuit ducere prorsus equos.
Non latet hostiles ars ingeniosa phalanges,
Quoque sono Sonipes saltet, & hostis habet.
Protulit en sonitum, saltant de more jugales,
Abjicit & Dominum quisque perarva suum.
Exue delicias, Veneri ne crede fugaci,
Non Marti, at Morti proderit ista Venus.*

COMMENTARIUS.

1 Ræclare, ut solet reliqua, monet Horatius (a):

*Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse.*

Quem nimis laudans Lactantius Firmianus (b). *Virtutem esse (inquit) quod non est vitium, bonum, quod non est malum, sapientiam, quod non est stultitia, coercere iracundiam, cupiditatem domare, libidinem reprimere, denique non peccare.*

2 Unde cum in Regibus Heroicisque Principibus, virtutum omnium satellitum, mirabilem nexum, suavemque contentum desideraverimus, è re est, ut de vitiis, à quibus cavere debent, aliqua subtexamus. Et in primis immoderatas delicias, ac vivendi luxum, tam in se, quam in his quos regunt populis, cohibendum esse consulimus, quo nomine, non solum excessum in re Venerea, qui proprius & strictius luxuria appellatur, sed in vestitu etiam, epulis,unctionibus, aliisque deliciis comprehendimus, quas ut compendio congerem, Divum Gregorium Nazianzenum (c) allegare sufficiet, qui Christianum populum instruens, qualiter festum Natalis Domini diem celebrare deberet, non ea, quæ ad infirmitatem pertinent, sed quæ ad sanitatem, non ea, quæ sunt formationis, sed quæ reformationis, peragere monet; idque, inquit, ea ratione assequemur: *Nemp̄ si non ædium vestibula coronemus, non constituamus choros, non excornemus plateas, non oculos passamus, non aures permulcamus tibiarium sonis, non effeminenemus odoratum, non lenocinemur gustui, non deserianus tantui, proclivibus ad vitium quis, & additibus peccati, non vestibus emolliamur mollibus, ac circumfluentibus, & quarum pulcherrima quæque est maximè inutilis, non gemmarum fulgore, non auri splendore, non colorum fucis, qui naturalem ementiantur pulchritudinem, & contra ima-*

(a) Horat. lib. 1. epist. 1. ad Mecanat.

(b) Lactant. lib. 6. cap. 5.

(c) Div. Nazianzen. in orat. de natali Domini, pagin

mibi 129.

ginem sunt reperti, non comesationibus, & ebrietatibus, quibus scio cubilia & impudicitias conexa esse, quandoquidem malorum praeceptorum malae sunt discipline, vel potius pravorum seminum praece segetes, non altos sternamus toros ventri, ea, que ad delicias attinent, extruences, non vina odorum suavitate fragrantia, non fuscas coquorum conditiones, non pretiosas unguentorum compositiones in honore babeamus, non terra, & mare honoratum nobis stercus largiantur, sic enim ego honorare didici delicias; non contendamus alter alterum intemperantia superare: intemperantia enim, mea quidem sententia, dici potest, quidquid est supervacaneum, ac minus necessarium, praesertim cum esuriant, atque egeant alii, ex eodem luto, eademque temperatione falli, &c.

3 His enim qui immoderata se dedunt, suamque voluptatem, & felicitatem in rebus ejusmodi collocant, non tam Reges, ac Principes dici merentur, quam

Epicuri de grege porci.

Ut Horatius (*d*) ait, qui divinam curam, & providentiam in rebus humanis negabant, & civilem administrationem, indignam sapiente censebant, summum bonum in voluptate collocantes, spemque futurae vita procaciiter irridentes:

Sit tantum bene genio calenti,
Concius satur; ebrieque mensæ;
Sint blandæ veneres, joci salesque.
Sit Baccus pater, & mater voluptas.
Sit venter Deus, & Rhampus errans.

4 Quorum perniciosa sectam quisquis sequutus fuit, vel in posterum sequi voluerit, haud dubie & sibi, & suis præsentissimas calamitates adduxit, & adducet, ut pluribus exemplis probare possem, quibus variis Autores variis in locis suas (*c*) paginas implent. Sed præstat vice omnium, hoc, quod de Sybaritis, eorumque internecione, præsenti Emblemate designamus, Mundi Proceribus ob oculos ponere, & juxta probatorum Scriptorum relationem breviter explicare. Hi enim à Sybari ubi sic dicti (quam Herodotus (*f*) libro quinto Crotoni vicinam facit, Stephanus (*g*) in Italia constituit, atque postea Thurion appellatam) in voluptatum omnium, ac deliciarum architectura operosissimi fuerunt, & adeò ventri, Veneri, corporis cultui, otio, plumæ, choreis, musicæ, convivis, & aliis vitiis, & blanditiis, adhuc his pejoribus, dediti, ut Suida (*b*), & aliis testantibus, quicquid effæminatum, quicquid molle, quicquid accuratum, aut ambitiosa luxuria paratum esset, id vulgo Sybariticum diceretur, & Sybarizzare, pro moliter incedere, loqui, scribere, aut lauta & opipara mensa uti, ut ex pluribus Adagiis constare poterit, quæ in Erasmi, & Junii Chiliadibus (*i*) continentur.

5 Quibus & aliud de Sybariticis fabulis, ex Aphantio (*k*) addere licebit, quæ illis Æsopim similes erant, at aniles, & parum pudica, ut Suidas tradit, propter nimium luxum, & libidinem Sybaritarum, apud quos nuxæ, ac obscenæ voluptates in pretio; frugalitas odio fuit. Unde Ovidius (*l*):

Nec qui composuit nuper Sybarita fugit:

Et Martialis (*m*):

Musei paticissimus libellos;

Qui certant Sybariticis libellis.

Tantaque eis mollices, ut fodienter spectare non possent, nec ullum opificium in civitate admitterent (ut Athenæus (*n*) testatur) quod cum strepitu exerceretur, atque adeò ne gallum quidem gallinaceum, ne quid esset, quod illis sonum interrumpetur. Et ut unus ex illis, Smindarides dictus, Ælian. (*o*) testante, quoddam tempore in rosarum foliis decubens, somnumque in iis carpens, expergefatus dixerit, se tubera ex nimia lecti duricie inflicta habere.

6 Inter quas delicias, eam tandem invenerunt, & exerceuerunt, que ipsis ultimum excidium attulit, ut post Plinium (*p*), Athanæum (*q*), Suidas (*r*), & Maximus Tyrius (*s*), & post Africanum, elegantius ceteris, Angelus Politianus (*t*), & novissimus Camerarius (*u*) literis tradiderunt. Equos enim in convivia introducebant, ita institutos, ut auditio tibiarum cantu, statim se tollerent arrectos, & pedibus ipsis prioribus, vice manuini, gestus quosdam, chironomia, motusque ederent

(*d*) Horat. lib. 1. epist. ad Tibul. Poeta ap. Theatr.

vite hum. lit. E pag. 92.

(*e*) Theat. verb. Luxus, & verb. Voluptas, lat. Scom. born. lib. 7. Polit. cap. 9. Ascass. de urario, pag. 900. & seqq. qui alios adducit.

(*f*) Herod. lib. 5.

(*g*) Stephan. de uribibus, Plin. lib. 3. cap. 11.

(*h*) Suid. verb. Sybaritz.

(*i*) Erasm. & Junius in Adagiis pag. 378. 416. 460. 465. 470. 475. 747. 761.

(*k*) Aphant. in princip. suor. progrm.

(*l*) Ovid. in lib. de Tristib.

(*m*) Aug. Martial. lib. 12. epig. 97.

(*n*) Athan. lib. 12.

(*o*) Ælian. de var. hist. lib. 9.

(*p*) Plin. lib. 8. cap. 42.

(*q*) Athen. lib. 12. cap. 6.

(*r*) Suid. verb. Sybaris.

(*s*) Tyrinus serm. 3. de volap.

(*t*) Politian. lib. 1. Miscel. cap. 15. post African. in Cessis.

(*u*) Camerat. 1. subces. cap. 30. & lib. 2. cap. 30.

rent ad numeros saltatores. At enim tibicen quidam ex ipsis, ab eisdem contumelia affectus, transfugit ad Crothoniatas hostes, paulo ante prælio superatos à Sybaritis: Et quod è Republica foret illorum, pollicitus fuit (si fidem modò habeant) sua opera Sybaritarum cunctorum equites in ipsorum venturos potestatem. Credita res, & belli Dux creatus à Crotoniatis tibicen, convocat omnes quotquot ejusdem forent in urbe artis, & artificium modulamentumque eis indicat, atque ut visum tempus, procedere in hostem jubet. Sed enim Sybaritæ fastu præturgidi, quod equitatu superabant, eunt contra, prælium conserunt. Hic autem repente dato signo, tibicines universi conspirant. Ecce tibi igitur confessim, modulamine agnito, cantuque illo vernacula, tollunt, eriguntque semet in pedes equi Sybaritarum, sessoribus excusis, & quod tripudium domi didicunt, etiam in acie exhibent. Ita capti omnes equites, sed humili jacentes, omnes equi sed tripudia representantes.

7 Cui historia adstipulatur, & Strabo (*x*), qui Sybaritas omni sua felicitate propter delicias luxumque septuaginta solis diebus fuisse narrat à Crotoniatis exturbatos, sic verum nostri Emblematis thema lemmaque redentores: Deliciae nimiae Rempublicam perdunt.

8 Quod non illis duntaxat contigisse videmus, cum similia fermè exempla de Cardianis, & Capuanis, Colophoniis, & Bachiadis, simili astu viictis, & ob nimium luxum, nimiasque delicias, à suis adversariis delectis, Athenæus (*y*) & alii Scriptores (*z*) commemorent. Et de Sardanapalo legamus, apud Justinum (*a*), & alios (*b*), quod postquam Assyriorum Monarchia per 1300. annos durasset, hic apud eos postremus regnavit, vir muliere corruptor, & omni luxu, ac luxurie perditè deditus, quem videre cum agrè obtinueret Arbaces, seu Arbactas, Praefectus militum ejus, & eum inter scortorum greges purpuram colonentem invenisset, & mulieri habitu, mollitia corporis, & lascivia eas oculorum ante euntem, pensaque inter virginem dividentem; indignatus, coniuratione facta cum militibus, eum obsessum sustulit, & Imperium in Medos transtulit, eo tanta lascivia præmio huic misero derelicto, ut quoties effæminatum, & mollissimum hominem, adeòe stupris, & segnitate perditissimum significare volumus, Adagii (*c*) loco Sardanapalus dicamus, & ut teste Plutarcho (*d*), Cicerone (*e*), & aliis (*f*), sepulchro ejus hos versus incidi meruerit:

Hec habeo, quæ edi, quæque excurtata libido

Hausit. At illa jacent multa & preclara relicta.

9 Quod epitaphium bovis magis quam Regis sepulchro dignum, merito Cicero (*g*), post Aristotelem, dicere potuit, & Henricus Oræus (*b*) ex hac historia, hoc monitum sumere:

Sit Cereri Bacchoque modus. Venerique petulca.

Luxus inter omnis fons & origo mali est.

Hoc docet exemplo Rex Sardanapalus abunde,

Qui se cum Regno perdidit, atque suos,

10 Sed quid barbara, & exotica exempla commemoro, cum de Romanis, tertium dominis genteque togata, ipsi iidem (*i*) eorum Scriptores fateantur, pessum ire ceperisse, ubi prosperis victoriis elati, & ditati, à parsimonia veterum discesserunt, & Asiaticum luxum, aliarumque devictarum gentium delicias, in suam Rempublicam invexerunt. Inter quos Juvenalis, id canens, vel lugens per integrum satyram, sic finit:

Nam patimur longæ pacis mala: levior armis

Luxuria incubuit, vietamque ulciscitur urbem,

Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo

Paupertas Romana periiit: Hinc fluxit ad Istrós

Et Sybaris colles, &c.

Prima peregrinos obscena pecunia mores

Intulit, & turpi fregerunt secula lucu.

Et Lucius (*k*) Florus sic inquiens: Quæ enim res alia furores civiles perperit, quam nimia felicitas? Syria primum nos vixit corrupit: mos Asiatica Pergameni Regis hereditas. Ille opes, atque divitiae affixere secuti mores, mersamque vittis suis quasi sentinam, Rempublicam possum dederunt.

11 Idem æquè graviter ac dolenter Ovidius (*l*), Propertius (*m*), Lucanus (*n*), Petronius &

(*x*) Strabo lib. 6. Geograph. pag. 263.

(*y*) Athan. d. lib. 12. cap. 6.

(*z*) Camerat. d. cap. 30. 2. tom. pag. 126 & 127.

(*a*) Justin. lib. 1.

(*b*) Suid. verb. Sardanpalus, Orose. lib. 1. cap. 19.

Athe. lib. 12. cap. 12. Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 7.

(*c*) Erasm. in Adagiis, pag. nrhi 409. & 407.

(*d*) Plutarc. orat. 1. de Alex. Fort.

(*e*) Cic. 5. Tuscul.

(*f*) Erasm. d. pag. 409. Rodig. lib. 9. cap. 11.

(*g*) Cic. ubi proxim.

(*h*) Oræus icon. 54.

(*i*) Livius, Plutarch. & alii apud Erasm. vers. Asiaticus.

D. Augustin. Luxus Pet. fol. 1. semet. pag. 94. Ego 2.

tom. lib. 1. cap. 16. ex num. 67. Juven. sat. 6. per tot.

(*k*) Luc. Flor. epist. Rom. lib. 3.

(*l*) Ovid. 2. Fasti. eleg.

(*m*) Proper. lib. 3. eleg. 2.

(*n*) Lucan. 1. Pharsal.

(o), & alii Poetæ passim deplorant. Inter quos Silius Italicus (p);

Inde aspice latè

Florentes quasdam luxus, quas verterit urbes.
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola nox animis illapsa voluptas.

Et Claudianus (q) plurium Regnorum ob hanc causam excidium ita recensens:

Nam cetera Regna

Luxuriae vitiis, odiisque supervia vertit,
Sic male sublimes fregit Spartanus Athenas
Atque item Thebis cecidit, sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderanina Perses;
Subiecti Persen Macedo, cessurus & ipse
Romanis, hac auguriis firmata Sybille.

12 Quod & Hispania nostra contigisse à Vandaliis ob eūdem luxum vastatæ, satis ostendit, & Iugut Salvianus (r): & posteà à Mauris, sub Roderico, Archiepiscopus Toletanus (s) inquiens, hanc cladem subiisse: Quoniam bunnani generis inimicus seminavit in potestate superbiā, in Religione accidiam, in pace discordiam, in abundantia luxuriam, in solertia ignaviam, &c.

13 Nec desunt, qui (t) nostris (heu) etiam temporibus doceant, ac doleant, in eamdem propter accessionem Indiarum, & divitias, quæ ex iis asportantur, similem luxum irrepssisse, atque adeò plus damni, quam commodi, ex hac accessione sibi parasse, ita ut in ipsa Propertiana (u) illa carmina impleri videantur:

Certa quidem tantis causa est manifesta ruinis,
Luxurie nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit è rubro concha Erycina Salo.
Et Tirostrinos præbet Cadmea colores,
Cinamon, & multi pastor odoris Arabi.

14 Et aliis omissis, hanc cladem fuisse, futuramque esse communem & inevitabilem, omnibus urbibus, ac Regnis nimio luxui indulgentibus, Pitagoras apud Laertium (x) admonuit, inquiens: In civitates primum irrepssisse delicias, mos saturitatē, aenide violentiam, postrem exitium. Cujus doctrinam sequuti Aristoteles (y), & M. Tullius (z), idem axioma generale fecerunt, & apetius Seneca (a), hanc inter præcipias, & frequentiores causas connumerans, ob quas florentissimæ etiam urbes, & potentissima Imperia ad iteritum vergunt: Alias (inquit) destruent bella, alias desidia, pasque ad inertiam versa, consumet, & magnis opibus exitiosa res luxus.

15 Quod, si in Monarchiis ita contingere solet, satis Monarchæ ipsi, summi Dynastæ proposcere poterunt, quantum sibi damni ex eisdem vitiis immineat, qui juxta illud Agesilai monitum, quod, secundum Plutarchum (b), assidue in ore habere solebat: Non moltie deliciæ, sed temperantia, ac fortitudine privatis debent hominibus antecellere: Et tunc demum se Reges, ac liberos reputare, cum ejusdomini deliciis, ac voluptatibus dominantur, ut cum Seneca, Claudio, Boetio, & aliis alio loco (c) probavi, & preclarè docuit Divus Augustinus (d), cuius soluta verba D. Prosper ejus discipulus, ita ligavit:

Solus peccator male sercitur, qui licet amplio
Utatur Regno, sat miser est servus.
Cum mens carnali nimium dominante Tyranno,
Tot servit Sceptris dedita, quot vitiis.

16 Unde & Cicero (e), omnes leves, omnes cupidos, omnes luxui, & luxuriae deditos, omnes denique improbos, etiam si in amplissima familia nati sint, servos esse concludit, & Seneca (f) graviter in eodem argumento discurrens: Qui sc̄tatur (inquit) voluptatem, omnia postponit, & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit, nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit, &c.

17 Quorum vestigiis inhærens nuperus quidam Emblematarius (g), sub Sardanapali typo,

(o) Petron. in satyr. ibi: Orbem jam totum.

(p) Sil. Ital. lib. 15.

(q) Claud. de laud. Stilic. lib. 3.

(r) Salv. de prouid. Dei, lib. 7.

(s) Arch. Tol. lib. 3. cap. 16. cuius & Polyb. verba vide

apud Me 1. tom. pag. 751.

(t) Traj. Boccal. centur. 2. ragguag. 90. Capellon. lib.

3. cap. fin. Saaved. in ideis polit. ex pag. 528.

(u) Proper. lib. 3. eleg. 2.

(x) Laert. lib. 7. cap. 1.

(y) Arist. 5. polit. cap. 4. & 8.

(z) Cic. 2. off.

(a) Senec. epist. 71.

(b) Plutarc. in Apoph. Lacon. ubi de Agerila.

(c) Sup. Emblem. 16.

(d) D. Aug. apud D. Prosper. epig. 53.

(e) Cic. Parad. 5.

(f) Senec. de vit. beat. cap. 14. & 15.

(g) Scoonh. Emb. 8. pag. 25.

inter scorta fila ducentis, missertimam servitutem esse ostendit, servire voluptati, sic inquiens:

Imbelli digito dum carpis fila, columnque,

Famneos inter Sardanapale greges;

Servus es infamis, quid enim servilis illo,

Quem premit Imperiis fæda libido suis?

18 Hadrianus etiam Junius (b) eidem monito inserviens, aliud Emblema formavit, sub figura hominis in lecto cum scorta recumbentis, opipareque convivantis, quem Gloria aversata relinquit, & perniciibus aliis ab ejus domo discedit, sub hoc lemmate, Venter, pluma, Venus laudem fuga sequenti, & his quo sequuntur carminibus:

Que fugitiva ruis, quenq; aversata relinquis

Gloria clara virion?

Desero sufflution pluma, Venerisque ministrum,

Mancipiisque gule.

Addens, Inertiam, Gulam, Venerem, tres esse capitales verae laudis, ac honestis omnis hostes, tres esse exitialia pestes. Hasque nimur esse pellaces illas Sirenes, quibus sapientia adumbrator, Ulysses aures obstruxerat. Has veras Gorgones, torpore menti industriaque conciliantes: has ipsissimas Harpyias, animorum pabuli depeculatrices, quæ patria, hoc est mentis, bona comedunt, ratione exunt, animique lumen excæcant.

19 Quod vel Herculis exemplum satis nobis ostendit, cujus æram gloriam, cæloque tenus tot laboribus, & virtutibus sublimatam, luxus in Lydia, & cæsus amor Omphales deturpavit. Cui inertim, leonis pellem concessit, & clava pro colo relæta, inter pedissequas ejus, fæmineo habitu induitus, ut alter Sardanapalus, sedentariam artem exercuit, & Adagio Hesuckles in Lydia, originem præbuit, de quo post Aristotelem, & Tertulianum, Erasmus (i), & Natalis Comes (k) mentionem fecerunt; & Ovidius (l), ita de eo canere potuerit, efficit:

Non pudet Alcidem viætricem mille laborum,

Rasibus calathis impossive manu.

Crassaque robusto deducis pollice fila,

Æqua formosæ pensa rependis here.

Diceris infelix scutæ tremefactus habenis,

Ante pedes Domine pertinuisse minas.

20 Hannibalem quoque, & ejus exercitum, tot victoriis adversus Romanos gloriosum, Campania, luxurie illecebri sui complexa, vincendum militi prebuit. Illaque (u) ultra alios Valerius Maximus (m) tradit) vigilansissimum Duceum, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris usu lasciviora, ad somnum, & delicias evocavit: ac tum demum fracta & contusa Punica feritas est, cum Seplesia, & Albana castra esse cœperunt. Unde valde ad rem, de qua agimus statim subjungit: Quid autem his vitiis fædis? Quid etiam damnosus? Quibus virtus alteritur: viætria languescent; sopita gloria in infamiam convertit: animique pariter & corporis vires expugnantur: ut nescias ab hostibus nō, an ab illis capi perniciosius babendum sit.

21 Quo etiam exemplo utens in eamdem rem Seneca (n) inter alia ita monet: Id agere debemus, ut irritantia vitorum, quæ longissime profugiamus. Indurandus est animus, & à blandimenti voluptatum proculdubio abstrabendus. Vim Hannibalis byberna solverunt, & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum, enervaverunt fomenta Campanie. Debellandæ sunt in primis voluptates, quæ sœva quoque ad se ingenia rapuerunt.

22 His facile plura alia addere possem, quæ similem exitum in luxu simili generarunt, & ab Atheneo (o), Camemario (p), & alii (q) plenissime recensentur; sed sufficiat illud Heliogabali terigitissime, qui ultra alia, qua referri honestè non possunt, eo recordia luxurieque processit, ut, teste Lampridio (r), in Colle Quirinali mulierum Senatuculum fecerit, cui ipse præsidebat, & in quo ridicula quedam Senatus consulta de legibus matrimonialibus facta sunt: Quo respiciens Petrus Costalius (s) quoddam Pegma formavit, sub titulo, Senatus Heliogabali, & his carminibus:

Qui decreta vides muliebris edita jussis,

Totaque famineos per fora stare greges:

Hec Phœnix quondam possuit monumenta Sacerdos,

Inter conscriptos addita scorta Patres.

Et non contentus pessimus his Imperator totam vitam exquisitis luxuriis, deliciis, ac lasciviis deturpasse, etiam in morte, quam pro eis meruit, atque prævidit, ut ea pretiosa, & ad speciem luxurie esset,

(b) Hadrian. Jun. Enb. 52.

(i) Arist. & Tertul. apud Erasm. in Adag. pag. 466.

(k) Nat. Comes in Mythol. pag. 709.

(l) Ovid. in Dejanira.

(m) Valer. Max. lib. 9. cap. 1.

(n) Senec. epist. 51. ad Lucil.

(o) Athen. lib. 12. cap. 19.

(p) Camer. 1. tom. c. 19. & 20. & 2. tom. subces. c. 30.

(q) Crinitus lib. 24. cap. 12. Theat. verb. Luxus, & verb. Voluptas, Vir. 1. pag. 77. & seqq.

(r) Lamprid. in Heliogab.

(s) Pet. Cost. in Pegmat. pag. 1.

illa instrumenta paraverat, quæ jam, aliud agens, suprà (t) recensui. Sed tandem hoc quoque solatio privatius, à Praetorianis in eum conspirantibus, in latrinis inventus, & immersus, multis pugionibus transfoissus, interit, sic non minus obscenam, & spurcam mortem, quam vitam sortitus, & illud Claudiiani (u), exemplo suo, certissimum reddens:

*Luxurias per dulce malum, que dedita semper
Corporis arbitris, hebetat caligine sensus.
Membraque Circeis effeminat acris herbis.
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrica ulla.
Interius fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, torcos auro circulinuit hydros,
Illa voluptatum multos intexuit hanos.*

23 A quibus quidem nulli magis, quam Reges, & Principes cavere debent, cum hæc via magna & excelsa fastigia præcipue impetrere soleant, ita ut meritò de iis Tragicus (x) dixerit:

*Quisquis secundis rebus exulta nimis,
Pluitque luxus semper insolita appetens.
Haec illa magna dura fortune Comes
Subit libido, non placent suete dapes.
Non tecta sani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenus subit
Hec delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta parvis inhabitat in teclis Venus
Mediumque sanos vulgus affectus tenet,
Et se coercent modica? Contrà divites,
Regnoque fulti, plura quam fas est petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.*

24 Et plus exemplo, quam peccato noceant, nisi omni studio laborent, omnem luxum ac luxuriam in se cohibere, & Rempublicam suam similibus moribus, ac virtutibus venustare, & splendidam facere, potius quam opulentia, ædificis, aliquisq; deliciis, qua pestifero sui abuso, omnium, ut disi, malorum altrices existunt. Quod egregie monuit D. Augustinus (y) sic inquiens: *Perversa, & adversa corda mortalium fielices res humanas putant, cum Reorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum: cum theatrorum moles extrubuntur, & effundunt fundamenta virtutum: cum gloriosa est effusionis insanitia, & opera misericordia deridentur: cum ex his que divitibus abundant, luxuriantur histrioines, & necessaria vix habent pauperes: Cum Deus, qui doctrinæ sue publicis vocibus, contra hoc malum publicum clamat, ab impiis blasphematur.*

25 Et sanè licet Tiberius Imperator, ut Tacitus memorat (z), ausus non fuerit, sumptuarias leges, que oblivione, vel contemptu aboliæ, securiore luxum fecerunt, suis edictis renovare, & in pristinam observationem reducere. Satis esse ducens, omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc asseq; ii, ut palam fieret, quibus delictis impar esset. Ipse tamen Tacitus statim subjungit, exempla ad hoc validiora esse, quam leges, & sub Vespasiano, quia ad strictum morem observabat, & antiquo ipse cultu virtuque utebatur, totum populum in ejus obsequium, & emulationem à luxu in vestibus, epulis, & rebus ceteris abstineisse. Et Latius Pacatus (a) idem de suo Theodosio ita eleganter, & ad rem nostram apè, recenset, ut pro Commentario nostri Emblematis sufficere posset, tradens qualiter hic Imperator moderatam luxum in omnibus servavit, & ad sui exemplum omnem Romanum orbem deduxerit, qui perditè nimis ad omnia immoderata (ibidem miro verbum splendore expressa) transierat, & tandem concludens: *Sic est enim, sic est exasperat homines imperata corratio: blandissime jubetur exemplo.*

27 Sed adhuc, veluti superpondium Agellum (b) adjicio, qui priscis Romanis omnem lautiorem, luxum, & vestitum ornatiorem, vitio versum esse tradit, hunc excessum *Elegantiam*, eosque qui in his excederent, *Elegantes*, vituperii causa appellatos, licet postea ha voces pro aenioiore ingenio, & locutione usurpatæ fuerint.

28 Et novissimum Antonium Burgundiam (c) qui ad luxum, & varietatem vestimentorum nostri temporis, tam in viris, quam in feminis respiciens, eundem eleganter describit, & reprehendit, & infamem gloriam esse probat, in his gloriari, & ab externis (ut quotidie facimus) nationibus, in Patriæ nostræ perniciem, & effeminationem, tot novas, & plerumque indecoras togarum, laciniarum, horacum, fœmorialium, & caligarum formas advocate. Quod maximè in fœminarum vestibus dolendum & dolorandum est, que jam tam manifestis hiaticibus uberum, & scapularum, carnes prostituant, ut macelli januam censeas, aut certò prostibuli, in hac sola nuditate gloriantes, & hyemis frigora non timentes, cum sic ignem spirent, sic urant acris, & incautos, dum retibus, tot plicias complicitibus implicatis, has partes adornant, velut ex insidiis gravius feriunt. Sed hæc his, qui clavum Reipublicæ tenent, judicanda & emendanda relinquunt, qui ignorare non possunt, mutationem habitus morum ruinas trahere, aut jam inclinatos mores sequi, & benè Tacitum (d) admonuisse: *Sexum natura invaditum deserit, & exponi suo lusu cupiditatibus alienis, non licet.*

EM-

(s) Sup. Emb. 16.

(u) Claudian. de laud. Stilic. lib. 2.

(x) Senec. Tragic. in Hippoly. act. 1.

(y) D. Aug. epist. 5.

(z) Tacit. 3. Annal.


(a) Pacat. in Panegyr. Theodos.

(b) Agell. lib. 11. cap. 2.

(c) Burgund. in Mundi lapide Lydio, cap. 15. ex pag. 59.

(d) Tacit. 3. Annal. vide Carranzam, Patronem & Cœcum in lib. contra los malos trages.

INGLUVIES IN REGIBUS VITUPERAVILIS.



*In ventris spacio cor sibi condidit
Infelix Asinus, qui mare permeat.
At, culpans homines, quos gula deprimit,
Vecordes vocitem nunc sine peccatore,
Venter, non animus, si suus imperat.*

COMMENTARIUS.

Uamvis quæ superius, de immoderato luxu in omnibus à Regibus excusando, retulimus, nimis quoque edacitatis, & lautarum, splendidarumque mensarum, dapaliumque coenarum, frequens studium comprehendant. Adhuc tamen, quo magis vitium hoc ab eorum animis arceamus, aliqua in præsenti separatim in ejus detestationem addere destinamus, quoniam in eo præcipue excedere plurimi solent, ita ut vel in proverbium transierit, hunc maximè luxum *Regalem appellare*, & *Mensis Regales*, quæ extremitissimæ, lautissimæ, apparatissimæque sunt, juxta illud Virgilii (a),

At domus interior Regali splendida luxu

Instruitur

Et iterum (b):

Aurea fulca toris, epulæque ante ora paratæ

Regifico luxu

Ubi noster Cerda plura notavit, & Lambinus, Taubmannus, & alii in illud Plauti (c) *Basilice agite Eleutheria. Basilico accipere victu.*

2 Cum tamen, qui rectè sentiunt, & se tanto munere dignos reddere volunt, longè magis regium censere, & habere debeant, sobrietatem ac frugalitatem amplecti, sanctamque illam &

Bb 2

(a) Virgil. 1. Æneid.

(c) Plaut. in Pers.

(b) Idem 6. Æneid.